



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Hvmanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthvmæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 2. Vtru[m] omnibus defu[n]ctis suffragia prosint.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

Verosimilius est neminem ex inferno ad vitam reuocatum.

Verum probabilius est, neminem unquam inferni penis adiudicatum, fuisse postea ad vitam reuocatum; ita Sotus supra. Ratio est: quia locus ille aeternae mansioni & poenae est destinatus. Unde non videtur consentaneum, ut quis illi adiudicatus restituatur huic vitae, per quam possit illum euadere. Confirmatur: quia alioqui damnati possent sperare liberationem, nec absolute desperarent; quod est omnino falsum.

Ad exempla allata respondet Sotus, omnes huiusmodi laborasse ignorantia inuincibili fidei, ac proinde non fuisse mortuos in peccato mortifero. Sed hoc parum est credibile: nam Gregorius loco citato scribit, virum quendam pessimum, qui a daemonibus ad inferos raptabatur, a S. Seuero fuisse excitatum. Filii quoque Praefecti nullo modo potest a peccato mortifero excusari. Unde dicendum est, tales, etsi obierint in peccato mortali, non tamen fuisse inferni penis addictos; sed singulari Dei dispensatione eorum sententiam ad breue tempus fuisse suspensam, eò quod paulò post essent ad vitam reuocandi.

CAPVT IV.

De Suffragijs pro defunctis.

36
Tria genera Suffragiorum,

Notandum est: Esse tria genera Suffragiorum; nempe Sacrificium Missae, Orationem, & Eleemosynam: ad quam tertiam partem referenda sunt quaelibet opera poenalia, & satisfactoria; ut ieiunium, cilicium, peregrinationes, & similia. His adde Indulgentias, quia per eas opera satisfactoria aliorum applicantur defunctis.

Restitutio autem rei alienae non est quartum genus Suffragij, ut quidam voluerunt. Nam siue fiat restitutio, siue non fiat, hoc defuncto nec obest, nec prodest, per se loquendo. Deus enim non punit, nisi culpam propriam in vita contractam. Nisi forte haec restitutio fiat per modum eleemosynae; ut, v. g. quando fit ab eo, qui non tenebatur restituere; vel certe nisi fiat meritorie ex amore iustitiae: omne enim opus bonum potest referri ad alterius auxilium per modum deprecationis. Ad huiusmodi restitutionem referenda sunt quaedam animarum apparitiones, petentium ut fieret restitutio quarundam rerum, quas ipsae neglexerant: vel certe ad instructionem viuientium factae sunt, ut quisque in vita restitutionem faceret.

DVBIVM I.

Virum Ecclesiae Suffragia profunt defunctis?

37
Est de fide Suffragijs defunctis prodesse,

Respondeo: Fide tenendum est, prodesse. Patet ex testimonijs Scripturae, 2. Machab. 12. & ex Concilij ac Liturgijs supra citatis. Idem docent quoque omnes Patres, ut videre est apud Gareium in libello de Oratione pro defunctis. Ratio est, quia Ecclesia vniuersa est vnum quoddam corpus, cuius caput est Christus: ergo necesse est, ut omnes ad hoc corpus pertinentes, tanquam membra inter se communionem habeant: atqui ad hoc corpus pertinent ij, qui in charitate defuncti sunt, ut docet D. August. lib. 20. de Ciuit. cap. 9. Neque piorum anima mortuorum separantur ab Ecclesia Dei, quae etiam nunc est regnum Dei: alio-

qui nec ad altare feret eorum memoria. Et infra: Cur enim ista sunt, nisi quia fideles, etiam defuncti, eius membra sunt?

Hinc sequitur, defunctos, cum ope egeant, ab alijs in Ecclesia posse iuari; sicuti membrum vnum laborans adiunatur ab alio. Confirmatur: quia viui profunt viujs, ut patet Iacobi 5. v. 16. Orate pro inuicem, ut saluemini. Quin imò ipsi Apostoli preces fidelium saepe expetierunt. Cur non etiam profint mortuis, qui & magis egent, & minus semetipsos iuare possunt?

Dices: Ecclesiastae 9. v. 5. dicitur, Mortuos non habere amplius mercedem, nec parent in hoc saeculo, in opere quod sub sole geritur.

Respondeo: Sensus est, eos non posse amplius mereri, neque habere communionem cum viuentibus in rebus temporalibus huius mundi.

DVBIVM II.

Virum omnibus defunctis Suffragia profunt?

Respondeo: Non prodesse damnatis, neque etiam beatis, si proprie loquamur: sed his solum, qui in charitate defuncti aliquo reatu poenae temporalis tenentur. Est communis sententia Patrum, & Doctorum dist. 45. Vide S. Augustinum in Enchiridio cap. 110. & libro De cura pro mortuis habenda, cap. 1. vbi ait; Ecclesiae Suffragia pro valde bonis esse gratiarum actiones; pro valde malis nulla esse adiumenta mortuorum; pro non valde malis esse propitiationes. Vbi per non valde malos intelligit eos, qui in Purgatorio sunt, habentque culpam venialem, vel reatum poenae temporalis.

Nec obstat, quod Patres aliquando dicant, Sacrificium offerri pro Apostolis, & Martyribus; ut Chrysostomus in Liturgia. Tantum enim volunt dicere, offerri pro gratiarum actione de eorum victoria in certamine huius vitae, & gloria in caelo obtenta; sicut S. Augustinus dicit, Suffragia pro valde bonis esse gratiarum actiones. Ita quod in quibusdam Missae orationibus dicitur Sacrificium prodesse sanctis ad gloriam; ad honorem, intellige vel de gloria quadam & gaudio accidentali, vel potius de gloria apud homines, idque ad hominum vtilitatem. Colligitur ex Capitulo Cum Martha, de Celebratione Missarum.

Contra obijcitur Primò: Diuus Augustinus in Enchiridio cap. 110. sic ait: Quibus profunt Suffragia, aut ad hoc profunt, ut plena fiat remissio, aut ut tolerabilior sit ipsa damnatio: ergo profunt damnatis. Confirmatur ex Innocentio III. Capitulo Cum Martha; vbi dicit, Mortuis valde bonis non opus esse Suffragijs; valde malis non prodesse Suffragia; mediocriter bonis prodesse ad expiationem, mediocriter malis ad propitiationem: quo ultimo membro non videntur posse alij intelligi, nisi damnati.

Respondeo: Diuum Augustinum Tolerabilem damnationem vocare poenam Purgatorij mictorem, ut patet ex verbis praecedentibus, vbi docet, Suffragia non prodesse valde malis, sed solum mediocriter bonis, qui sunt purgandi & saluandi. Ad Confirmationem: Fortè Innocentius per mediocriter bonos intelligit eos, qui nullam habent culpam, sed solum reatum poenae; dum hinc excedunt: per mediocriter autem malos, eos, qui habent culpas veniales.

Dddd iij

Obijcitur

38
Nec damnatis, nec beatis profunt Suffragia in charitate.

Quo sensu dicitur offerri Sacrificium pro Apostolis &c.

1. Obijcitur ex Augustino & Innocentio.

Solutio;

1. Obie-
ctio, de
Traiano,
& alijs ex
inferno sal-
uatis.

Obijcitur Secundò : Damascenus *Oratione de ijs qui in fide dormierunt*, dicit Traianum precibus S. Gregorij ex inferno liberatum: & animã cuiusdam Falconillæ paganæ femine precibus S. Theclæ primæ martyris. Idem refert ex Palladij historia Lausiaca, cranium cuiusdam idololatræ respondisse S. Macario, *Damnatos sentire aliquod solatium, quando pro ipsis preces offerret.*

Solutur,

Respondeo: Exemplum istud de Traiano videri totum fictitium; vt docet Canus lib. 11. De locis, cap. 2. & 3. & multi recentiores. Quomodo enim credibile est, Traianũ, qui non tantũ fuit idololatra per omnem vitam, & infinitos Sanctos affectu martyrio, & præposteræ libidini deditus fuit, sed etiam voluit statuum suam adorari; post quingentos annos, ob opus misericordiæ planè naturale viduę præstitum in infidelitate & peccato mortifero, ex inferno esse liberatũ; aut B. Gregorium ob tantillũ opus id à Deo petere voluisse? Adde, in eadem historiã dici S. Gregorium ob hanc petitionem fuisse punitum perpetuo stomachi dolore. Quomodo ergo in re tanta fuit exauditus, si petendo peccauerit? Dicendum ergo, Damascenum non esse auctorem istius orationis, sed Græcum aliquem parum eruditum. Nam in eadem oratione dicitur, *Multos alios infideles in inferno fuisse à Christo illuc descendente, & prædicante conuersos, & saluatos*: quod est error exploratus & euidens. Similiter apocrypha est illa historia de

cranio: tum ob alias causas, tum quia in Palladio non reperitur. Neque etiam credibile est, Macarium pro damnatis orare consueuisse.

DVBIVM III.

Virum Sancti in calis orant pro defunctis?

Dominicus Soto dist. 45. quæst. 3. art. 2. negat; eò quòd oratio Sanctorum non sit satisfactoria: Suffragia autem non prosunt, nisi per modum satisfactionis.

39
Don. Soto
negat.

Sed hæc sententia defendi non potest. Primò, Quia Luca 16. v. 9. dicitur: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt, cum desereritis, excipiant vos in æterna tabernacula*: in quem locũ vide Ambrosij in Comment. & Augusti. lib. 21. de Ciuit. cap. 27. Secundò: Quia Ecclesia in oratione, Deus venia largitor, rogat Deum, vt B. Virgine, & omnibus Sanctis intercedentibus, animas defunctorum ad perpetua beatitudinis consortium perducere dignetur.

Affirma-
tur.

Ad rationẽ Soti, Resp: Etsi oratio Sanctorũ nõ sit satisfactoria, est tamen impetratoria, & sic applicat quodammodo animabus Christi satisfactiones. Precatur enim Sancti, vt Deus propter Christi & Sanctorum satisfactiones illis concedat; quomodo etiam nobis gratiam impetrant; quamuis Deus non statuerit nobis gratiã conferre, nisi interueniente aliquo merito, saltem Christi, vt alibi dictum est.

Soti ratio
soluitur.

DE SACRAMENTO EXTREMAE VNCTIONIS.

Circa Quæstionem 29. 30. 31. 32. & 33.

CAPVT I.

De Essentialibus huius Sacramenti.

DVBIVM I.

*Virum Extrema Vnctio sit verum noue
Legis Sacramentum?*

Hæretici
negantes.

PRimi, qui hoc Sacramentum sustulerunt, videntur fuisse Waldenses; vt refert Thomas Waldensis Tom. 2. cap. 163. Hos secutus est Wicleff, & demũ hæretici nostri temporis.

Sententia
firmans
est de fide.

Sed certã fide tenendum est, extremam Vnctionem esse verum & propriè dictum nouæ legis Sacramentũ. Patet ex Concilio Trident. sess. 14. can. 1. De extremã Vnctione: *Si quis dixerit, extremam Vnctionem non esse verè ac propriè Sacramentum à Christo Domino nostro institutũ, & à B. Iacobo Apostolo promulgatum, sed ritum tantum acceptum à Patribus, aut signum humanum, anathema sit.* Idem patet ex Concil. Florentino, cui interfuerunt Græci, & simul cum Latinis approbarunt Armenorum instructionem.

Expeditur
locus Mar-
ci 6. de Vn-
ctione
sgrorum.

Probatur Primò: Marci 6. *Vngebam (Apostoli) oleo multos agros, & sanabant.* Hunc locum intelligi de hoc Sacramento probat multis Maldonatus,

& insinuat Hieronymus in Commentario huius loci, dicens: *Cum vngunt oleo agros, infirmitatem fidei virtute corroborant*, vbi satis indicat, se non loqui de dono miraculorum, sed de Sacramento interius sanante. Clariũ adhuc Beda, Theophylactus, Oecumenius, Euthymius, Albertus Magnus, & Dionysius Carthusianus in hunc locum Marci, & Beauxamis tom. 2. fol. 516. Thomas Waldensis suprã, Alphosus à Castro verbo *Extrema Vnctio*, Petrus Soto lect. 1. Francisc. Victoria lect. 213. Probatur: quia omnia hæc insinuatur, quæ ad rationem huius Sacramenti pertinent; Materia remota, *Oleum*; propinqua, *Vnctio*; Minister, *Apostoli*; sub quibus intellige *Sacerdotes & Presbyteros*, Apostolorum in hoc successores: subiectum quod vngitur, *Infirmi*; effectus, *Sanatio*, corporis scilicet & animæ: non enim sanabant Apostoli corpore, nisi quos etiam sanabant spiritu. Et quamuis hic non exprimat formula verborum, dubitandum tamen non est, quin aliquam adhibuerint; vt etiam fatentur ij, qui existimãt hæc agi de dono miraculorum. Confirmantur hæc omnia: Quia parum credibile est, Dominum præcepisse Apostolis vnctionem olei ad curandum corpus per donum miraculorum, quia hæc vnctio multum detraxisset miraculo; viti enim fuissent virtute olei curasse; quod quidam hæretici, inter quos Wicleff, & aliqui Caluinistæ, dixerunt: ergo præcepit eam vnctionẽ ad significandam & efficiendam potissimum in-